



Dilectus filius vester Philippus Rex nr̄ Catholicus, decretum quidem ultimum, quod à Cardinalibus S. Inquisitionis, approbante S. V. editum est, ne quis audeat palam, et publice docere, uel dicere, Beatam Virginem in originali peccato conceptam esse, magna cum pietate, et singulari erga S. V. grati animi significatione recepit, et exosculatus est. Verum quia contrariae sententiae Sectatores, eo quod nullo modo tractari ab alijs de illa, nec ullum prorsus ei praeiudicium fieri in eodem decreto legunt fauere id sibi iactant, et alios quacumq; possunt ratione multo magis quam ante uexant, ita ut longe minus nunc dicere, uel docere, predicare, scribere de Immaculata Conceptione DEI MATRIS libeat, aut liceat: postremo quoniam grauiora incommoda secuta sunt, meritoq; adhuc futura timentur, compulsus necessitate rumoris in omni ditione sua compescendi, nec dubitans de eximia deuotione v̄ra erga Coeli, et Terrae Reginam, tum uero etiam de summo amore, studioq; conseruandae pacis in Ecclesia Vniuersa, petit, et orat per me Oratorem suum, vt extremam tandem manum tam graui huic negotio imponere ne grauetur; Quod sane non aliter fieri posse, post tot alia remedia uidetur, et à Concilijs, et à Pontificibus, nuperq; à V. B. adhibita, nisi rem de fide definiendo, hoc ipsum quoq; ut fieret nec ueriti sunt, et enixe flagitauerunt doctissimi duo Dominicani Ordinis Cardinales Turrecremata in Concilio Basiliensi; et in Lateranensi Caietanus: et ex eodem Ordine valde multi consentiunt communi opinione; sentiunt uero Dominicani non pauci, quidquid aliter decernatur à Sede Ap̄lica errori obnoxium esse. Aduenisse tandem iudicari potest B. P. temporis plenitudinem, in qua S. Brigida reuelatum est ab ipsa met Immaculata Virgine istud mysterium fidelibus omnibus, vt credant, proponendu: et persuadere nobis possumus, ad huius rei procuracionem iam inde ab aeterno, pijsimum Regem nr̄um, et ad eiusdem definitionem S. Virginis adeo deuotum alumnium, et cultorem Paulum V. destinatum esse. Dignetur eadem dulcissima Mater dicto modo laudari ab utroq; Vestrum, et sic dare virtutem contra tot hostes Ecclesiae, sicut dedisse constat, cum aliae ipsius festiuitates ab alijs Pontificibus decretae sunt: tandemq; postquam elucidata fuerit et Regis procuracione, et v̄ra definitione Vitam aeternam amobus impetrare.



Sanctissimo Dno Nro


2

7

*[Faint, illegible handwritten text]*

P.

Car. R. eoz. Philippo 2o



*[Faint handwritten notes or scribbles in the bottom left corner]*